

corpore, et alia hujusmodi; alio modo perfectam dissolutionem in elementa. Ergo incorruptibile dicere Corpus Domini, secundum Julianum et Gaianum, secundum primum corruptionis modum ante resurrectionem, est impium: et quia Corpus Christi non esset consubstantiale nobis, nec in veritate mortuum esset, nec secundum veritatem salvati essemus. Secundo autem modo Corpus Christi fuit incorruptum (1).

Ad probationem. γ) transeat Major, quia non una est ea de re Doctorum sententia (2), quamvis communius doceant Christum in morte assumpsisse, in resurrectione dimisisse formam cadavericam. Tunc *neg.* Minorem, quin obstant ejus probationes. Etenim effatum illud Theologicum «intelligitur de partibus humanitatis vel de iis, quæ Verbum assumpsit ex primaria intentione, non vero de iis, quæ assumpsit veluti secundo et transeunt ad servandum ordinem rebus consentaneum tempore mortis. Quod etiam dictum est de non assumptione naturæ rationalis» (3). Remque optime declarat P. Sylvester Maurus: «Verbum primo et principaliter assumpsit animam rationalem et alias partes; quæ prout unitæ cum anima spectant ad integritatem humanæ naturæ. Animam rationalem nunquam omnino dimisit, partes vero materiæ, et alias, quæ prout unitæ cum anima spectabant ad humanam naturam, nunquam dimisit, quamdiu manserunt unitæ, vel paulo post reuniendæ. Et quia materia Corporis Christi et Sanguis effusus triduo mortis manserunt reunienda animæ, non fuerunt dimissa. Et quia forma cadaverica erat unita materiæ paulo post reuniendæ cum anima, ideo etiam ipsa fuit unita Verbo divino. At sicut cum Christus per nutritionem acquirebat novas partes materiæ et antiquas amittebat, Verbum de novo uniebatur partibus acquisitis, dimittebat vero partes perditas, quæ amplius non spectabant ad humanam naturam; sic cum materia Christi triduo mortis habuit formam cadavericam, Verbum fuit unitum formæ cadavericæ ratione materiæ; cum in resurrectione materia dimisit formam cadavericam, Verbum

(1) S. Thom. 3, p. quest. 50, art. 5, corp.

(2) Vide Suarez, *de Incarnat.*, disp. 38, sect. 3.

(3) Lossada, loc. cit. num. 49.

etiam illam dimisit utpote non amplius spectantem ad humanam naturam, vel ad materiam reuniendam animæ» (1).

Hæc et alia similia vide apud veteres Auctores (2).

#### ARTICULUS IV.

##### Proponitur ac defenditur aristotelica definitio Animæ.

33. Stabilita existentia et realitate animæ, operæ pretium est illam definire: qua in re S. Thomæ et veteres Scholasticos secuti aristotelicam doctrinam exponemus ac pro virili tuebimur, nihil enim hactenus melius veriusque excogitatum est. Duplex ab Aristotele tradita est animæ definitio, communi Scholasticorum consensu recepta: prima est hæc: *actus primus corporis physici, organici, potentia vitam habentis* (3). Secunda ita se habet: *Anima est id, quo vivimus, sentimus, loco movemur et intelligimus, primo* (4). De quibus juvat singillatim agere.

##### § 1.—DECLARATUR PRIMA DEFINITIO ANIMÆ (5).

Anima dicitur in primis *actus*, quia est forma; omnis quippe forma est actus. Unde per hanc particulam exprimitur distinctio animæ tum a materia, quæ nullius est actus, tum a corpore, quod, licet sit compositum ex actu et potentia, non est tamen actus, quia non est entitas idonea nec natura sua destinata ad actuandum aliud subjectum.

(1) *Question. philos.*, lib. 4, quest. 26, ad 5.<sup>um</sup>

(2) Suarez, *Metaphys.* disp. 15, sect. 10; Rub. *de Anim.*, lib. 2, quest. 6, 7; Conimbricens., lib. 1.<sup>a</sup> *de Gener. et corrupt.*, cap. 4, quest. 20; Joann. a S. Thomæ, *de Anim.*, quest. 1, art. 3; Mauri et Lossada, locis citat. et alii passim.

(3) Arist. lib. 2 *de Anim.*, cap. 1, text. 6.

(4) *Ibid.* cap. 2, text. 24.

(5) Expositionem hujus definitionis legere oportet apud S. Thomæ (*de Anima*, lib. 2, lect. 1), Eximium Doct. (lib. 1 *de Anima*, c. 1 et 2, ubi plenissime omnia enucleantur), Conimbricenses (*ibid.* lib. 2, quest. 1.<sup>a</sup>), Rubium (*ibid.* lib. 2, quest. 3, seqq.), Joann. a S. Thomæ (*de Anima*, quest. 1, art. 1 et 2), Complutenses (*de Anim.*, disp. 2), Cardin. Aguirre (*de Anima*, disp. 75 *Physiologia*, etc.), etc.

Prima definitio  
animæ  
declaratur:  
nempe est  
actus

primus

Dicitur actus *primus*, quia est forma substantialis, ideoque nullum alium actum priorem prae-supponens. Duplex enim est actus, alter *secundus*, qui est operatio, alter *primus*, qui est principium operationis. Sed principium operationis potest esse vel substantiale, vel accidentale: substantiale est ipsa substantia vel forma substantialis, accidentale autem, potentiae operativae et habitus, quae quamvis respectu operationis sint actus primus, respectu vero substantiae vel formae substantialis sunt actus secundus, ut quaelibet alia accidentia, quae sunt actus seu formae accidentales, supponentes alium substantialem se priorem. Itaque per hanc particulam anima discriminatur tum ab operationibus, tum a potentis vitalibus (1).

(1) Notat etiam acute S. Thomas (*lib. 2 de Anim.*, lect. 1.<sup>a</sup> paragr. e), cumque eo alii, ideo etiam dici animam actum *primum*, quia non est de ratione eius, ut semper habeat actum secundum seu operationem, sed ut *opera vitae possit exercere*; in quo differt a formis inferioribus, quae semper habent suam actionem, nisi obstat impedimentum. E contrario id proprium sibi vindicant generatim viventia, ut non totam semper exercent activitatem: qua in re tanto magis excellent, quanto perfectiorem animam habeant. Vide omnino Suarezium id egregie declarantem (*lib. 1 de Anim.*, cap. 2, num. 40, 41). Cfr. Complutenses (*de Anima*, disp. 2, quest. 1, num. 3); Tolet (*de Anima*, lib. 2 in expositione textus 6.<sup>o</sup> Aristotelis). Dices fortasse id proprium esse posse animae dumtaxat rationalis, quae ob suam libertatem cohibere valet nonnullas operationes vitales, reliquas vero animas, cum libertate minime fruuntur, in hoc prorsus equiparari formis inanimatorum, ideoque si quando abstinant aliquibus operationibus earum, quas elicere alias solent, id non ex interna perfectione talium animarum, sed ex aliquo externo impedimento repetendum esse, aut ex defectu conditionum requisitarum ad operandum. Respondeo haec vera non esse: cum enim videmus viventia se successive ac paulisper evolvere ad assequendam justam magnitudinem et perfectionem; cum videamus ea suas facultates non omnes simul, sed ordine quodam ac per vias exercere, secus atque inorganica corpora; cum denique facultates ejusmodi usu debilitentur, ac nisi ordinate et temperate agant, fatiscent, penitusque intereant, concludendum est non casu aut externo aliquo impedimento, sed ex interna exigentia naturae, bonum ac conservationem propriam quaerentis, fieri, ut anima modo his, modo illis vacet operationibus, ac proinde ex sua innata perfectione postulare, ut non semper adsint adjuncta, quae si adessent, agere necessario deberent. Sic planta non semper generat, immo nec semper generandi virtutem expeditam habeat nec ipsas

corporis

Additur *corporis*, per quod excluduntur a ratione animae formae omnes separatae atque assistentes, quae quamquam sint actus quidam primi operationum vitalium, non tamen sunt actus corpus informantes, sed sunt actus et formae in sua specie completa; cum e converso anima sit incompleta, utpote forma informans, ac proinde pars speciei natura sua destinata, ut completam speciem confleret cum aliam parte. *Nulla forma est quid completum in sua specie*, inquit Angelicus, *sed complementum speciei competit substantiae compositae* (1).

physici.

Dicitur deinde corporis *physici*, id est naturalis, illius nimirum quod habet in se primum principium motus et quietis: quo excluduntur corpus *artificiale ac mathematicum*, quorum nequit esse anima forma. Nam *artificiale* corpus habet formam accidentalem; corpus vero *mathematicum* est materia prout affecta quantitate, quam solam Mathematici contemplantur, ideoque *qua tale non est sensibile*, sicut sunt corpora naturalia vitaeque fruentia seu animata. Quae possent, utrum anima sit actus *informativus corporis* physici, ac proinde supponens illud in suo gradu corporis physici, an vero sit actus *constitutivus corporis physici* etiam in hoc eodem gradu, sicut v. gr. calor est actus calidi. Et responso pendet tum ex interpretatione vocis illius, *corporis physici*, tum etiam ex diversitate opinionum circa formarum pluralitatem in viventibus. Plures namque arbitrantur *corpus* in hac definitione intelligendum esse materiam primam sive nude sumptam, ut volunt aliqui, sive, ut alii, organizatione aliqua passiva sufficienter dispositam ad-receptionem animae, cuius actu constituitur verum compositum corporeum. Ita Gregorius et Argentinas apud Conimbricenses, qui eidem doctrinae adherent, et Rodericus Arriaga (2), Thomas Carleton Compton (3), Oviedus (4) aliique, qui notant vocem

Utrum anima sit actus informativus, an vero constitutivus corporis.

nutritionis funciones omnes tumultuario exercet: et animalia non semper se movent, sed quiete opus habent, ac somno ad vires restaurandas. (*Vide Suarez, Complutenses, ac Joannem a S. Thoma, in solutionem difficultatum.*)

- (1) *Lib. 2 de Anima*, lect. 1, paragr. b.
- (2) *De Anima*, disp. 1, sect. 1.
- (3) *De Anima*, disp. 1, sect. 2.
- (4) *De Anima*, Controv. 1, punct. 1.

*corpus* in hac acceptione pro materia prima usurpatam ab Aristotele non uno in loco fuisse (1). Itaque juxta hanc explicationem anima, cum dicitur actus corporis, intelligitur esse actus physicus, tale corpus seu materiam informans, ac proinde adæquate distinctus ab ea.

Multi vero alii nomine corporis non solam materiam intelligunt, sed eandem prout jam actuatam in gradu corporeitatis, seu constitutam in *esse* corporis. Id tamen bifariam explicatur pro varietate sententiarum circa pluralitatem formarum in viventibus. Nam Scotus arbitratur præter animam inesse viventibus aliam formam, quam vocat corporeitatis, quæ materiam primam actuans, constituit in *esse* corporis. Ideoque ait cum anima dicitur esse actus primus corporis, ita definitionem intelligendam esse, ut anima sit actus informans corpus jam in *esse* corporis præviè constituti per aliam formam, illique tribuens *esse* viventis. Unde in hac sententia anima non foret ullo modo actus constitutivus corporis physici, sed tantum informativus illius, et constitutivus ejusdem in *esse* viventis.

At vero S. Thomas alique plurimi negant plures esse formas in corporibus viventibus, sed unicam, quæ est anima, cujus actuacione constituitur materia prima et in *esse* corporis et in *esse* viventis (2). Addunt nihilominus in aristotelica definitione animæ accipi adhuc posse corpus non pro nuda materia prima, sed pro eadem jam constituta in *esse* corporis, non quidem per aliam præviam formam, sed per eandem animam, quatenus fungitur munere formæ substantialis. Quod ut intelligas, notare debes in eadem anima plures gradus perfectionis ac formalitates consideratione distingui posse, nimirum generalem rationem formæ, quæ sufficit ad corpus constituendum, et formalem ipsam rationem principii vitæ. Sic anima plantarum, præterquam quod actuat, et informat materiam, tribuens ei *esse* corporis, qua

(1) Hæc sunt loca, quæ pro hac corporis acceptione laudari solent ex Aristotele: lib. 2.<sup>a</sup> *de Anim.*, cap. 1, text. 4; ibid. text. 7, quibus in locis quædam scribit Philosophus, quæ aptiorem videntur fundere sensum, si nomine corporis intelligatur aliquid adæquate ab anima distinctum. Cfr. S. Thom., lib. 2 *de Anim.*, lect. 1, parag. d.

(2) Vide S. Thom., 1 p., q. 76, art. 4, ad 1.<sup>am</sup>

in re convenit cum aliis formis inferioribus, vivificat etiam ipsum corpus, ac facit vegetativum; anima vero brutorum habet præterea rationem primi principii sensationis, et intellectiva his omnibus superaddit perfectionem intellectivi principii. Hi porro diversi gradus perfectionis ratione solum distincti, qui in una eademque physica entitate animæ insunt, ita se habent inter se, ut superiores ac præstantiores cogitentur tamquam actus superadditi inferioribus, non secus atque differentiæ specificæ rationibus genericis accedentes constituunt species. Et e converso gradus inferiores concipiuntur instar potentiæ ac subjecti actuabilis ac determinabilis per actum gradus excellentioris.

Quæ cum ita sint, eadem ipsissima anima materiam informans, et constituit corpus, et constituit vivens, at prius ratione corpus, quam vivens, et corpus quidem secundum gradum formæ substantialis, vivens autem formaliter quatenus anima est, seu secundum gradum principii vitalis. Unde materia in *esse* corporis constituta per animam, prout hæc generatim munere fungitur formæ, consideratur adhuc tamquam subjectum et potentia respectu ejusdem animæ, quatenus est fons et formale principium vitæ. En ergo quomodo anima, prout talis, et antequam præstet suum formalem effectum vivificandi corpus, supponat hoc in *esse* corporis constitutum; et consequenter quomodo concipi possit ut *actus corporis*, intelligendo corporis nomine non solam primam materiam, sed eandem gradu corporeitatis affectam. Et quoniam Aristoteles voluit hic animam definire formaliter, prout anima est, ideo nomine corporis intellexisse dicendus est non puram materiam primam, sed prout actuatam in *esse* corporis per eandem animam, quatenus est forma. Unde juxta hanc explicationem anima et corpus non omnino adæquate distinguuntur, quandoquidem corpus in *esse* corporis constitutum jam includit suam formam, per quam constituitur, nimirum animam ipsam secundum gradum formæ. Et hoc pacto secundum S. Thomam ejusque asselas anima se ipsa est actus constitutivus corporis organici sive in *esse* corporis sive in *esse* viventis (1); ita tamen ut

(1) Vide S. Thom., 1 p., quæst. 76, art. 4, ad 1.<sup>am</sup>; quæst. *de Anima*, (inter Qq. disputatas), art. 1, ad 15.<sup>am</sup>

secundum formalitatem substantialis formæ constituat corpus solum in gradu corporis physici, secundum formalitatem autem animæ supponat illud in esse corporis, et constituat in esse viventis substantialiter.

Hæc est sententia, quam pluribus in locis exposuit lucidissime S. Thomas (1), multique alii sequuntur (2). *Cum forma perfectissima, inquit, det omnia, quæ dant formæ imperiores, et adhuc amplius, materia, prout ab ea perficitur eo modo perfectionis, quo perficitur a formis inferioribus, consideratur ut materia propria, etiam illiusmodi perfectionis, quam addit perfectior forma super alias; ita tamen, quod non intelligatur hæc distinctio in formis secundum essentiam, sed solum secundum intelligibilem rationem. Sic ergo ipsa materia, secundum quod intelligitur ut perfecta in esse corporeo susceptivo vite, est proprium subjectum animæ (3).*

Inter has sententias, hoc interest, ut vides, quod secundum priorem in hac definitione per verba *actus primus corporis physici* intelligitur *actus informatus*, secundum posteriorem autem *actus constitutus*; itemque secundum priorem corpus est verum subjectum reale adæquate distinctum ab actu, at secundum posteriorem corpus non est huiusmodi subjectum.

Equidem crediderim controversiam hanc non tantum esse, ut diutius nos tenere debeat. Eo vel magis quod anima in communissima sententia, exceptis Scotistis, tribuat esse et actum vite, et esse atque actum ipsum compositi corporei, totaque controversia non spectet ad naturam animæ, neque ad effectum formalem ipsius respectu materiæ, quam informat, sed tantum ad interpretationem vocis. Quæstio enim de re solum agitur cum Scotistis cæterisque, qui aliam formam distinctam ab anima ponunt in viventis corpore, ac

(1) Vide loc. nuper citat.; et quæst. de Anima, art. 9 in corp., et ad 7.<sup>um</sup>; et lib. 2.<sup>o</sup> de Anim., lect. 1, paragr. d; quæst. de spirit. creat., art. 3, ad 2.<sup>um</sup>; et art. 2, ad 15.<sup>um</sup>; Compend. Theolog., cap. 92. Cfr. de Pluralitate formarum, in tertia parte edita a cl. Uocelli in solut. ult. difficultatis.

(2) Vide Suarez (qui fuse et egregie rem tractat, lib. 1.<sup>o</sup> de Anima, c. 2), Joann. a S. Thoma (de Anima; quæst. 1, et Rubium, et Complutenses et Cardin. Aguirre (locis citat.), etc.

(3) S. Thomas, quæst. de spirit. creat., art. 3, ad 2.<sup>um</sup>

proinde nolunt formalem effectum animæ esse corporeum compositum.

Succedit alia particula *organici*, nempe constantis diversis membris ac partibus dissimilibus vel totidem *organis* seu instrumentis pro varietate diversarum operationum vitalium. Corpora enim inanimata, cum easdem semper et per totam suam extensionem operationes eliciant, uniformem habent per totam massam constitutionem partesque homogeneas; at vero corpora viventia varietatem exercent operum ac functionum vitalium, ideoque diversis egent ad easdem instrumentis vel organis, unde vivens corpus *organicum* vocatur. Sic in plantis adsunt radices, folia, flores, truncus: in animalibus manus, pedes, oculi, venter, etc.: et generatim quanto corpora animalia fuerint perfectiora, tanto propter maiorem perfectionem necesse est inveniri maiorem diversitatem in partibus: unde cum anima rationalis sit perfectissima formarum naturalium, in homine invenitur maxima distinctio partium propter diversas operationes (1).

Hic autem quæritur ab auctoribus, cum anima dicitur actus corporis *organici*, quænam organizatio intelligatur. Nam duplex distingui potest organizatio, altera accidentalis, altera substantialis. Accidentaliter consistit in variis dispositionibus accidentalibus, quibus varia corporis animati membra afficiuntur, tum secundum figuram et conformationem, tum secundum alias qualitates duritiæ, mollietis, etc. Substantialis organizatio consistit in ipso esse substantiali corporis quodammodo vario, unde varia hæc accidentia permanant. Id quod haud obscure docetur ab Angelico, qui immediate post scripta nuper verba sic pergit: *Et anima singulis earum (partium diversarum) dat esse substantiale secundum illum modum, qui competit operationi ipsorum (2).* Unde alibi (3): *Dicendum est, inquit, quod caro mea cum carne tua magis convenit secundum rationem speciei, quam caro mea cum osse meo.* Cujus rei rationem egregie declarat

Anima  
dicitur actus  
corporis...  
organici.

Organizatio  
substantialis  
et accidentalis.

(1) S. Th., de Anima, art. 9, in corp. versus fin. Cfr. lib. 2.<sup>o</sup> de Anima, lect. 1, paragr. f; 1 p., quæst. 76, art. 5, ad 3.<sup>um</sup>

(2) Quæst. de Anima, art. 9. Cfr. ib. ad 14.<sup>um</sup>

(3) Quæst. de spirit. creat., art. 4, ad 14.<sup>um</sup>

Suarezius noster (1), et post ipsum Joannes a S. Thoma (2). Notandum præterea est in ipsa organizatione accidentali duplicis generis inesse accidentia, alia passiva et alia activa: duplex namque munus obit organizatio passiva, et disponendi materiam ultimo ad receptionem animæ, ejusque conservationem in materia, a qua separatur statim, ac debita illa organizatio deficit, et juvandi eandem animam ad operationes vitales. Et sic diversa hæc membra organica, puta oculi, manus, truncus arboris, et sunt subjecta inadæquata susceptiva animæ, a qua informantur, et instrumenta, per quæ operatur (3).

His ergo explicatis, dicendum est animam in aristotelica definitione intelligi posse actum corporis *organici* omnibus istis modis, sed diversimode. Est in primis actus corporis organici organizatione substantiali, et quidem actus constitutivus, ut nuper explicuimus, nimirum non prævie supponens substantialem organizationem, sed eam formaliter efficiens unione sua cum materia. Quemadmodum enim figura est actus *constitutivus* figurati et calor calidi et lux lucidi, sic anima substantiæ organicæ: quæ causa est, cur caro mortua non dicatur specificè seu univoce eadem cum vivente et animata, sed æquivoce (4), quia non habet organizationem substantialem, quæ resultat ex unione formæ ac materiæ, licet adhuc per aliquod tempus conservare possit externam quandam ac materialem organizationis similitudinem.

Deinde anima est etiam actus corporis accidentaliter organici, secundum quod organizatio includit dispositiones passivas et conveniens temperamentum ad ejusdem receptionem, sed actus informativus, ita ut debeat in materia præsupponere dispositiones illas, ut eam informet, nam

(1) *De Anima*, lib. 1, cap. 2, num. 18 seqq., præcipue, n. 23, 24.

(2) *De Anima*, quest. 1.

(3) Vide Suar., lib. 1 *de Anima*, cap. 2, num. 13 seqq.

(4) *Non enim est facies*, inquit Aristoteles, *nisi animam habeat, neque caro; sed corrupta* (nempe cadaveris facies vel caro) *æquivoce dicitur facies aut caro, perinde quasi lapidea vel lignea facta sit*, Lib. 2 *de gener. animal.*, cap. 1. Cfr. S. Thom. 1 p., quest. 76, art. 8.

*cum anima sit actus corporis organici, ante qualemcumque organizationem corpus susceptivum animæ esse non potest* (1). Quamquam deinde ipsa anima, ubi semel materiam informavit, conservat, ac retinet dispositiones illas ac temperiem, sicut in *Cosmologia* dictum et generatim de quavis forma substantiali respectu præviarum dispositionum ad sui introductionem in materia requisitarum (2).

Et simili modo anima est etiam actus corporis organici, secundum quod organizatio sumitur active pro temperamento et conformatione ac dispositionibus in organismo supponendis ad hoc, ut vitalis activitas exerceri possit; cum enim anima multiplicem habeat virtutem, eaque tota, si solam spirituales excipias, per organa exerceatur, necesse est, ut organismus certo modo conformetur, ac temperetur ad hoc, ut virtus ab anima profluat, et in organis apte dispositis recipiatur, perque eadem exerceatur. Sic homo v. g. non per totum corpus habet, nec exercet virtutem videndi, audiendi, etc., sed solum in quibusdam organis rite fabricatis ac dispositis.

Ex his vero facile intelligitur, quam diverso modo pendet duplex hæc organizatio ab anima: nam substantialis pendet tanquam a causa formali, siquidem præcise constituitur per informationem atque unionem animæ. Organizatio verò accidentalis, passivè sumpta seu materialis in ordine ad receptionem animæ considerata, *in illo* pendere ab anima non potest, nisi in genere causæ finalis. Dispositiones enim passivæ ac susceptivæ animæ, licet *propter* ipsam tanquam finem introducuntur in materia, antecedunt tamen ejus informationem, ac proinde nec in genere causæ formalis nec efficientis tribui possunt animæ; sed efficienter dependent a causis concurrentibus ad generationem corporis viventis, quarum est materiam præparare ac disponere ad eum usque gradum, in quo productio animæ naturaliter sit debita. Post informationem autem hæc eadem accidentalis dispositio passiva simili modo pendet ab anima, sicut generatim dispositiones ad formæ introductionem requisitas illamque

(1) S. Th. *de Potentia*, quest. 3, art. 12 in corp.

(2) Vide *Cosmolog.*, num. 336, pag. 1203, 1204.

præcedentes, postmodum ab eadem illa forma pendere in sui conservatione docuimus cum probabiliori sententia in *Cosmologia* (1). Idemque dicendum videtur de organizatione accidentali active sumpta, prout colligitur ex nuper dictis.

Hiscæ modis anima dici potest actus corporis *organici* (2). «An vero omnia hæc Aristoteles intenderit, vel in quo sensu fuerit locutus, non multum refert, nec facile definiri potest», inquit Eximius Doctor (3).

Anima est  
actus corporis...  
potentia  
vitam habentis.

Tandem clauditur definitio his verbis: *potentia vitam habentis*; quæ secundum communem sententiam idem valere dicuntur, ac corpus *organicum*, quandoquidem omne corpus in potentia vitam habens est *organicum*. Unde revera non oportet addere, *potentia vitam habentis, loco enim hujus ponitur organicum, ut ex dictis patet* (4). Dicit tamen potest his verbis magis explicari rationem corporis *organici*. Cæterum quando dicitur *potentia vitam habentis*, intelligitur ex communiori interpretatione vita accidentalis seu in actu secundo, ita ut sensus sit animam ita actuare corpus, ut illud reddat habile ac potens ad eliciendas operationes vitales (5). Si vero hæc ultima verba referantur ad corpus *organicum* organizatione accidentali passiva seu dispositiva ad informationem animæ, nihil vetat, quomimus intelligi etiam possint de vita substantiali; nam corpus eo modo organizatum est in potentia passiva proxima ad ipsam vitam substantialem, quæ exurgit ex unione animæ cum materia. Et in hoc sensu declararetur per ea verba, quale debeat esse corpus, ut actuetur ab anima, nimirum illud, quod est ultimo dispositum ad vitam substantialem habendam: quo modo anima non potest esse actus cadaveris, quia

(1) Vide *Cosmolog.*, num. 356, pag. 1203, 1204.

(2) Plenissime de hiscæ Suarezium (*De Anima*, lib. 1, cap. 2, num. 14, 15, 24, 25). Cfr. Joann. a S. Thoma (quest. 1.<sup>a</sup> *de Anim.*).

(3) *Ibid.* n. 25.

(4) S. Thom., *de Anima*, lib. 2, lect. 1, paragr. g. Cfr. 1 p., quest. 77, art. 1.<sup>a</sup> in fin corp.

(5) Cfr. S. Th., 1 p., quest. 76, art. 4, ad 1.<sup>am</sup>; et lib. 2.<sup>a</sup> *de Anim.*, lect. 1, paragr. c.

nimirum jam non est proxime dispositum ad accipiendam animam (1).

Jam rectitudo hujus definitionis constat tum ex auctoritate Aristotelis ac S. Thomæ cæterorumque Scholasticorum, tum ex eo quod conveniat omni et soli definito. Quæ autem obijci in contrarium possunt, mox dissipabuntur.

Probat  
prima definitio  
animæ.

Si vero quæras, num univoca sit modo explicata definitio, affirmative respondendum est, quandoquidem non solum animæ vegetativæ ac sensitivæ, sed etiam rationali convenit esse actum primum corporis physici, *organici*, potentia vitam habentis; neque in hoc discriminatur prædictæ animæ.

An sit univoca.

Nec dicas, animam rationalem, cum nequeat communicare ipsam rationalitatem, non posse æque, ac reliquæ animæ materiales, formam esse corporis.—**Respondeo** enim, id nihil obstat: quia cum eadem anima spiritualis sit etiam sensitiva et vegetativa, sufficit ut corpori communicet actum vitæ vegetativæ ac sensitivæ, licet non possit rationalem communicare. Estque hæc res prorsus certa et indubitata, quemadmodum suo loco demonstrabitur (2).

Verum adversus expositam hactenus animæ definitionem.

34. **Objicies** 1.<sup>o</sup> Anima est actus præstantissimus. Atqui actus secundus seu operatio præstantior est primo seu substantia. Perperam igitur anima definitur per actum *primum*. Minor constat:  $\alpha$  quia primus actus ordinatur ad secundum tanquam ad finem, cum quælibet res sit propter suam operationem, ut docet Aristoteles (3).  $\beta$  Præterea quælibet res eo est perfectior, quo minus habet de

Difficultates  
solutæ.

(1) Vide, si lubet, Suarezium id fuse declarantem (lib. 1 *de Anim.*, cap. 2, num. 26, 30 seqq.); et post ipsum Complutenses, (*de Anima*, disp. 2, q. 4), et Joannem a S. Thoma (*De Anima*, quest. 1, art. 1). Et hanc expositionem proculdubio amplectentur omnes ii, qui in hac definitione nomine *corporis* intelligunt materiam primam.

(2) Vide Conimbricenses (lib. 2, *de Anim.*, c. 1, quest. 1, a. 1), Tolet. (ib. 2 *de Anim.*, quest. 2), Complutenses (*de Anima*, disp. 2, quest. 6).

(3) Lib. 2.<sup>o</sup> *de Cælo*, text. 17.

potentialitate. Actus autem secundus minus habet de potentialitate, quam primus.

*Resp. dist.* Major. In suo ordine, nimirum in linea substantialis formæ, *conc.*; sub omni ratione, *neg.* Minorem etiam *distinguo*; absolute ac simpliciter, *neg.*; secundum quid et sub aliquo respectu, *transeat*.

Ad probationem. *a) dist.*: actus primus, qui sit virtus operativa, ordinatur ad secundum tanquam ad finem *conc.*: actus primus, qui sit *esse* substantiale, ordinatur ad secundum seu operationem, *neg.* Ad prob. *β)* pariter *dist.*: cæteris paribus, *conc.*; cæteris non paribus, *neg.*

Itaque animæ non est tribuenda, quanta perfectio possit excogitari, sed quantum habere debet: quoniam est actus non accidentaliter, sed substantialiter, ac proinde primus. Jam actus primus simul cum secundo perfectior est, quam solus actus primus præcise sumptus, v. g. animæ substantia actu operans, quam sola substantia potens operari. Si vero actus primus et secundus præcise inter se comparentur, concedi nequit hunc illi præstare generatim et absolute in perfectione; quandoquidem operatio utpote accidens, saltem si de naturalibus operationibus loquamur, attingere nequam potest perfectionem substantiæ, unde profluit. Actus enim substantialis perfectior est accidentali. Unde etiam negandum est, actum primum substantialem ordinari ad operationem tanquam ad finem, siquidem e converso potius operatio ordinatur in bonum ipsius substantiæ. Operatio namque est accidens; substantia autem ut sic non respicit accidens ut finem suum, quin potius omnes proprietates et accidentia rei, cum sint entis entia, respiciunt ipsam rem tanquam finem suum. Itaque operatio non est proprie finis rei ipsius secundum suum *esse* substantiale consideratum, nisi velis operationem esse finem rei tantum respectu causæ rem ipsam efficientis in *esse* existentiae, quia nempe agens in producendo substantiam aliquam intendit operationem ejusdem, vel producit eam, ut operetur (1). Solum dici potest actum primum, quatenus formaliter importat virtutem operativam, ordinari ad actum

(1) Cf. Suarez, *de Anim.*, lib. 1, cap. 3, num. 23.

secundum seu operationem, quia ut sic important habitudinem quamdam transcendentalem et essentialem ad operationem, nam omnis potentia et virtus operativa est propter operationem. Et in hoc tantum sensu intelligitur Aristotelis sententia, quod omnis res est propter suam operationem (1). Cæterum objecto nihil omnino probat, etiamsi ea, quæ falso assumebat, darentur. Quia certum est 1.<sup>o</sup> ad essentialiam animæ spectare, quod sit actus primus. Atqui recte petitur definitio rei ex rationibus essentialibus. 2.<sup>o</sup> Certum quoque est in postrema definitionis particula mentionem fieri actus secundi vel operationis, cujus anima est principium.

*Objic.* 2.<sup>o</sup> Quando anima dicitur actus corporis, vel intelligitur actus *constitutivus* tum in *esse* corporis tum in *esse* organici ac viventis, vel actus informativus sive materiæ primæ nude sumptæ, sive ejusdem in *esse* corporis jam constitutæ et ulterius perfectibilis secundum *esse* viventis, juxta explicationem superius præmissam. Atqui nihil ex his sustineri potest. *Non primum*; quia si intelligitur actus tanquam constitutivus corporis, tunc anima definitur per seipsam, siquidem corpus, cum dicat compositum ex materia et forma, jam animam includit. Animam ergo definire per id, quod ipsam continet, est idem per idem definire. *Non secundum*; quia tunc nomine corporis veniret materia prima, contra communem opinionem. *Non tertium*; quia anima illius est actus, quod ab ipsa informatur, et est subjectum existens in potentia, ut ab ipsa vere, physice ac realiter actuatur, perficiaturque, non vero secundum meram rationis præcisionem. Atqui sola materia prima nude sumpta est subjectum ejusmodi, materia autem jam in *esse* corporis constituta respectu animæ, est solummodo subjectum metaphysicum, seu quod sola mentis consideratione exhibetur ut aliquid adhuc in potentia ad ulteriorem actum vite recipiendum. Ergo...

*Resp. conc.* Major., et *neg.* Minor., saltem quoad primum ac tertium membrum; et probabiliter etiam quoad secundum *negari* potest.

(1) Cf. S. Thomas (*de Cælo et Mundo*, lib. 2, lect. 4, paragr. c; 1. 2. quest. 3, art. 1). Et vide Suarez (loc. nup. cit., num. 21, 23), Complutensium (*de Anim.*, disp. 3, num. 36, 37).

Ad probationem primi membri *dist.* assertum. Si anima intelligeretur actus constitutivus corporis, definiretur per seipsam, prout implicite contentam in suo effectu formali, *conc.*; prout in se et absolute spectatam, *neg.* Nam effectus formalis animæ est constituere corpus, idque vivum: quare definire animam per hoc, quod constituat corpus et corpus vivum, non est idem per idem declarare, saltem explicite ac formaliter, sed causam per effectum formalem manifestare. In quo nullum vitium est, quod reprehendatur. Si enim licet causam efficientem per effectum describere, cur non liceat formalem per effectum formalem? cum potissimum de essentia formæ informantis sit conflare compositum, et compositum possit nobis esse manifestissimum (1).

Quod probationem secundi membri attinet, quamvis posset totum concedi ex supra dictis, quia probabilior videtur et communior opinio S. Thomæ ac Suarezii, tamen dici etiam potest, non esse, cur prorsus deseratur hæc altera interpretatio, quæ et gravium et ipsa doctorum est, existentium quandoque nomine *corporis* venire materiam ipsam primam.

Ad probationem tertii membri, *dist.* Major. Anima quatenus fungitur munere formæ substantialis corporis, *conc.*, secundum gradum specificum principii vitæ, re quidem identificatum cum gradu formæ, ratione autem ab eo distinctum, *neg.* Et *contradistincta* Minore, *neg.* conseq. Omniaque patent ex præjacta superius declaratione ad mentem Angelici Doctoris.

**Instabis.** Si hæc explicatio admittitur, anima formaliter, prout principium vitæ, erit actus accidentalis corporis, ac proinde ratio quoque viventis atque animati erit in corpore omnino accidentalis: nam accidentale profecto dicitur quidquid corpori in *esse* suo constituto supervenit. Id porro absonum est.—**Resp. neg.** antec. Et ratio est, quia anima etiam secundum gradum principii vitæ non dat ullum actum et *esse reipsa* distinctum, sed tantum ratione sicut ipsa et secundum gradum formæ et secundum specificum gradum animæ idem prorsus est in physica sua entitate. Tunc autem

(1) Vide Suar., lib. 1 de Anim., cap. 2, num. 37.

anima foret accidentalis actus, cum præsupponeret in materia præviam aliam formam, per quam, reponeretur materia illa in *esse* corporis, quemadmodum docent Scotistæ, et in præcedenti articulo vidimus. Unde *dist.* probationem. Accidentale est, quidquid corpori in *esse* corporis per aliam formam re distinctam constituto supervenit, *conc.*; secus, *neg.*

**Objic. 3.<sup>o</sup>** Particula illa *corporis organici* sic a nobis explicata est, ut admittatur organizatio substantialis, ac proinde diversitas substantialis in diversis corporis ejusdem membris. Atqui hoc absurdum videtur, saltem si sermo est de anima indivisibili. Quomodo enim ex una materia et forma indivisibili et unius speciei potest per meram earumdem unionem diversitas substantialis efflorescere?

**Resp. conc.** Major., *neg.* Minor., ejusque probationem *dist.* Ex eadem materia eodem modo disposita et ex eadem forma tum formaliter tum virtualiter, si eodem præterea modo uniatu inter se, nequit substantialis diversitas efflorescere, *conc.*; ex eadem materia diversimode in diversis partibus disposita, et ex forma eadem formaliter, sed virtualiter multiplici, potissimum si diversimode uniatu, *neg.*

Quamquam doctrina hæc sit non parum difficilis captu, vera tamen satis probabiliter ostenditur. Etenim cum diversitas accidentalis in organizatione, quam omnes perspicimus, non casu nec ab extrinseco insit, sed ex interna exigentia corporis ipsius animati propter multiplicem virtutem animæ, qua informatur; admittere etiam oportet diversitatem quandam substantialem ac radicalem, quandoquidem intelligi aliter nequit, cur diversitas illa accidentalis organizationis in corpore cernatur. Cæterum varietas hæc substantialis tanta esse nequit, ut partes ipsæ seu membra heterogenea differant specie completa, sed solummodo specie incompleta. Tales enim sunt, ut seorsim separatæ nequeant existere, quin suum amittant *esse* ac naturam, sed unibiles sint ac necessario uniendæ ad unam completam speciem substantiæ componendam. Ratio hujus doctrinæ in præcedenti articulo exposita est (1). Nempè si quæ sunt animæ divisibiles in partes integrantes, quæ alias aliæ partes materiæ informant,

Partes  
organismi  
heterogeneæ  
an specie distin-  
gui dicende  
sint.

(1) Vide Prob. 2.<sup>a</sup>



sicut formæ corporum inanimatorum, supponunt multi auctores eas partes aliquo modo dissimilares esse posse atque heterogeneas; unde haud difficulter concipitur eas, cum materiam varie in variis membris dispositam actuant, diversitatem quamdam substantialem efficere posse. Animæ vero indivisibiles atque inextensæ integraliter diversitatem illam substantialiter generare poterunt, si diversimode informant partes materiæ: posita namque varia unione substantiali satis intelligitur, quomodo eadem anima singulis partibus dat esse substantiale secundum illum modum, qui competit operationi earum (1). Etenim cum ejusmodi anima in sua simplicitate contineat multiplicem virtutem, quam in materia exercere debet, aliam in aliis organis, natura ipsa postulat materiam in diversis illis organis diversimode disponi per causas ad generationem concurrentes; semel autem ac diversimode disponatur, poterit quoque diversimode actum formæ virtualiter multiplicis recipere, ac proinde in aliqua diversitate substantiali constitui (2).

**Objic. 4.<sup>o</sup>** Anima prout informat singulas particulas organorum certe non est actus corporis organici, siquidem nisi abire in infinitum velimus, particule ipsæ initiales atque elementares organorum organa esse nequeunt. Ergo recta non est definitio allata.

**Resp. dist. ant.:** non est actus corporis organici inadæquate sumpti, *neg.*; adæquate sumpti, *subdisti.*: formaliter, *conc.*; exigitive, quatenus non exigat illas particulas in justum organum coalescere, quod eadem actuetur anima, *neg.*

Itaque sicut ipsæ particule, unde organum coalescit, formaliter non sunt organum, sed exigunt in organum conformari, sic etiam anima, licet prout illas informans, præcisive non est actus organi, vere tamen est actus organi, quatenus actuat totam partium complexiorem, organum constituentem. Non est ergo in anima considerandus actus inadæquatus et partialis, sed adæquatus et totalis, est enim forma

(1) S. Thom., quest. de Anima, art. 9, sup. cit.

(2) Fusc de his Suarez (lib. 1 de Anim., cap. 2, n. 16-25). Cfr. Joann. a S. Th. (de Anima, quest. 1, in explicatione vocis organici aristotelicæ definitionis).

totius, et quidem primo et per se, partium autem per posterius, et quatenus ordinem habent ad totum conflandum (1). Quamobrem sufficit totum esse organicum, ut anima vere sit actus organici.

**Objic. 5.<sup>o</sup>** Anima rationalis separari potest a corpore, cum sit immortalis. Atqui tunc certe, cum separatur, non est actus corporis; nec tamen ideo suam animæ naturam amittit. Ergo allata definitione non explicatur essentia omnis animæ.

**Resp. dist. Min.** Non est actus corporis de facto, *conc.*; in aptitudine, *neg.* Verba sumenda sunt in definitionibus aptitudinaliter. Et anima rationalis, etiam cum actu separata est a materia, eandem ipsissimam vim et capacitatem retinet ad informandum, si materia foret disposita.

## § II.—DECLARATUR ALTERA DEFINITIO ANIMÆ.

35. Anima dicitur etiam id, quo vivimus, sentimus, loco movemur et intelligimus, primo (2). In qua definitione ultima particula primo conjungenda est cum prima quo, ut sensus sit: anima est, id quo primo vivimus, etc., seu est primum principium, quo vivimus, sentimus, loco movemur, et intelligimus. Vivere autem hic sumitur pro vegetare, ut docent S. Thomas (3), Suarezius (4), Rubius (5), Joannes a S. Thoma (6) alique communissime, quidquid dicat Cajetanus (7)

Altera vim  
defini o  
declaratur.

(1) Quia anima requirit diversitatem in partibus, non eodem modo comparatur ad totum et ad partes: sed ad totum quidem primo et per se, sicut ad proprium perfectibile: ad partes autem per posterius, secundum quod partes habent ordinem ad totum. S. Th., 1 p., quest. 76, art. 8, in fin. corp. Cfr. ib. ad 2.<sup>um</sup>

(2) Arist., lib. 2 de Anima, cap. 2, text. 24.

(3) Anima est primum, quo et vivimus, et sentimus, et movemur, et intelligimus. Et referuntur hæc quatuor genera vitæ, de quibus superius fecerat mentionem (text. 13). Vivere enim refert (Aristoteles) ad principium vegetativum, quia superius dixerat (text. 13), quod vivere propter hoc principium inest omnibus viventibus. S. Th., 2.<sup>o</sup> de Anima, lect. 4, paragr. f.

(4) Lib. 1.<sup>o</sup> de Anima, cap. 3, n. 1.

(5) Tract. de subst. animæ, quest. 8.

(6) De Anima, quest. 1, art. 2.

(7) Apud Complutenses, de Anima, disp. 3, quest. 1.

in contrarium. Et ratio est, quia cum Aristoteles per hanc definitionem probare atque illustrare intenderit enumeratione graduum omnium viventium ac vitalium omnium operationum præcedentem definitionem, clare ac formaliter exprimere voluisse censendus est omne genus animarum. Animam autem vegetativam minime formaliter expressisset, sicut cæteras omnes expressit, nisi vocem *vivimus* ad vegetationem restringamus. Eo vel magis quod est ratio, cur vox illa de se generatim complectens omnem vitam coarctari possit ad infimum gradum, qui est vegetatio. Cum enim vegetatio in nullo corporeo viventi possit abesse, quamvis possit in multis abesse sensatio, et in pluribus intellectio; vox hac *vivere* in omni composito animato implicat necessario saltem vegetationem, non vero sensationem aut intellectionem. Itaque si in allata definitione sensatio et intellectio non necessario intelligendæ sunt per primam illam vocem generalem, et non potest non intelligi vegetatio, inferre debemus eam in sensu formali vegetationis usurpatam a Philosopho fuisse (1).

Reliqua perspicua sunt in hac definitione, quam rectam esse docet communis Philosophorum sensus. Ut autem bonitas ejus magis innotescat, proponendæ statim sunt atque enodandæ aliquot difficultates.

36. **Objic. 1.<sup>o</sup>** Secundum hanc definitionem ipsemet Deus poset dici anima; nam est verissime principium, quo vivimus, sentimus, movemur, et intelligimus, quandoquidem ex Apostolo (2) *in Ipso vivimus, et movemur, et sumus*. Ergo latius patet.

**Resp. neg. ant.**, et *dist.* probationem. Deus et verissime principium extrinsecum atque efficiens vitæ nostræ, *conc.*; est principium extrinsecum et formale, quo vivimus etc., *neg.* Anima dicitur principium, quo *nos ipsi vivimus, sentimus, etc.* Nos autem ut vere vivamus, oportet insit nobis principium formale, quo actio vitalis ab intrinseco et vitaliter procedat, et vere *nostra* sit. At ejusmodi principium non potest esse

(1) Cfr. Complutenses, disp. 3, quest. 1.

(2) Act. cap. 17, vers. 28.

Deus, cum operatio ejusmodi quatenus ab eo procedit, intrinseca nobis esse nequeat. Itaque in aristotelica definitione non potest intelligi nisi principium formale ac intrinsecum (1).

**Objic. 2.<sup>o</sup>** In hac definitione membra illa varia, quæ enumerantur, vel sumuntur copulative, vel disjunctive. Si primum, definitio soli competit animæ rationali, sola quippe illa est primum principium vegetattonis, sensationis, motus localis et intellectionis; si autem membra illa sumas disjunctive, tunc videtur oratio illa potius continere divisionem quamdam animarum, quam definitionem.

**Res. dist.** Major. Ita ut illa quatuor membra sumenda sint *exclusive* in sensu aut copulativo aut disjunctivo, *neg.*; ita ut sumenda sint *permissive* aut *præcise* in alterutro sensu. *conc.*

Et *concessa* prima parte Minoris, alteram *neg.*, et *neg.* etiam conseq. Sensus ergo definitionis illius est hic, in quocumque subjecto insint vitales operationes vegetationis, sensationis, motus localis et intellectionis; sive omnes simul reperiantur, ut in homine; sive una sola, ut in planta; sive aliquæ, ut in animali; anima est primum principium illarum. Quambrem veritas definitionis non postulat, ut membra ejusdem intelligantur in sensu copulativo cum exclusione disjunctivi, secus enim contineret descriptionem unius animæ rationalis; nec in sensu disjunctivo cum exclusione copulativi, secus enim non posset animæ rationali competere: sed ita intelligenda sunt, ut modo copulativum, modo disjunctivum sensum faciant, prout ad hanc vel illam speciem animæ applicentur.

Nec vero recte infert objectio, si verba illa disjunctive sumantur, non tam definitionem, quam divisionem animæ continere. Vere enim continent descriptionem generalem animæ desumptam ex differentiis divisivis ejusdem, quæ supponuntur jam notæ (2). Qui modus definiendi, quamquam similitudinem quamdam gerat cum divisione generis in suas differentias; re tamen vera diversus est ab ea, immo

(1) Cfr. Suar. *de Anim.*, lib. 1, cap. 3, num. 3, 4.

(2) Cfr. Suarez, *de Anima*, lib. 1, cap. 3, num. 6.

tenet oppositum processum. Nam in divisione supponitur nota ratio generica et deinde fit gradus per descensum ad explicandas differentias, per quas illa restringi potest; dum e converso in definitione per differentias divisivas, hæ prout compertæ supponuntur, et exinde proceditur per ascensum ad cognitionem notionis ipsius genericæ, quæ communis sit illis omnibus.

Cæterum ejusmodi descriptiones per differentias divisivas solent et in aliis materiis usurpari a Philosophis. Talis est illa, qua enuntiatio dicitur esse *affirmatio aut negatio alicujus de quopiam*.

**Objic. 3.<sup>o</sup>** Quoniam descriptio hæc fit per differentias divisivas, debuisset, ut recta foret, continere enumerationem exactam animarum atque operationum specificè distinctarum, quarum illæ sunt principium. Atqui si dicatur fieri per enumerationem animarum, redundat, cum non detur anima loco-motiva distincta a sensitiva; si per enumerationem operationum, deficit, siquidem non exprimitur appetitio, sive rationalis sive sensitiva. Ergo non est recta descriptio.

**Resp. dist. Major.**: debuisset continere exactam mathematicè enumerationem animarum atque operationum, *neg.*: exactam pro fine hujus descriptionis, *conc.* Verum est, non esse speciem animæ loco-motivæ distinctam a sensitiva. Nihilominus haud inepte anima eadem sensitiva per sensationem et motum declarata est, quia motus localis progressivus in primis est signum vitæ maxime obvium et manifestum; ac deinde cum non omnibus animalibus insit, quasi gradum specialem vitæ constituere videtur. E converso appetitio non constituit specialem vitæ gradum, sed generatim sequitur cognitionem, ac proinde inest omnibus animalibus; aliunde vero jam involvitur implicite in motu locali, per quam aliud revera non fit, nisi exequi id quod appetitus imperat. Sufficiens ergo continetur in generali voce sensationis. Itaque non est ob ejusmodi minutias descriptio hæc aristotelica respuenda.

**Objic. 4.<sup>o</sup>** Anima rationalis, utpote subsistens, non solum est id, quo intelligimus, sed etiam id, quod intelligit. Ergo descriptio illa non recte potest convenire omni animæ.

**Resp. 1.<sup>o</sup> transeal. antec., neg. cons.** Quando nim dicitur anima esse principium *quo*, non negatur neque affirmatur, sed præscinditur, utrum sit etiam principium *quod*. Quare descriptio hæc non desinit animæ rationali convenire propter objectam hanc rationem; immo non aliter potuit fieri descriptio communis omni animæ, nisi dicendo eam esse principium *quo*. **Resp. 2.<sup>o</sup> dist. ant.** Anima rationalis separata, *conc.*; anima corpori unita; *subdist.*: non modo est principium *quo*, sed etiam *quod* elicativum, *conc.*; denominativum, *neg.* Jam vero hic anima etiam rationalis definitur potissimum, prout est in composito, et compositum constituit. Compositum autem est *quod* denominatur intelligens per animam, licet hæc sine concursu materiæ intellectionem eliciat. Cæterum et illud notandum est, animam eandem rationalem esse principium sensationis et vegetationis in homine, et quidem principium, non *quod*, sed *quo*, nam ejusmodi operationes efficit cum intrinseco materiæ concursu. Quamobrem cum hæ differentiæ in diversis modis operandi exprimendæ minime sint in generali descriptione, ipsa etiam anima rationalis adæquate sumpta definienda est simpliciter per hoc, quod sit principium *quo*.

**Objic. 5.<sup>o</sup>** Unius ejusdemque rei nequeunt plures dari definitiones. Descriptio quippe rei essentiali debet explicare, unius autem rei non est nisi una essentia. Ergo aliqua ex allatis definitionibus rejicienda necessario est.

**Resp. dist. ant.**: definitiones objectivæ, *conc.*; formales, *subdist.*: si petantur ex diversis capitibus, *neg.*; si ex eodem, *conc.* Etenim quamquam conceptus ipse objectivus idem semper esse debeat, nihil tamen vetat, quominus plures possint esse ideales expressiones, quæ rem eandem sub diverso respectu ac per ordinem ad diversa manifestent. Et sic se res habet in allatis definitionibus, quarum prima exhibet animam ut principium informativum, altera vero ut principium radicaliter operativum, ac proinde per diversam habitudinem rem eandem exprimit.

§ III.—QUOMODO COMPARENTUR INTER SESE BINÆ ISTÆ  
DEFINITIONES ANIMÆ.

37. Nimirum prima definitio, ut satis perspicuum fit ex dictis, «explicat naturam animæ per habitudinem causæ formalis respectu materiæ propriæ, id est corporis organici, quæ est actuare illud, et dare illi esse: hoc enim significant illa verba: *Est actus primus corporis*. At vero secunda definitio explicat naturam animæ per habitudinem causæ efficientis, quam habet respectu operationum. Sunt ergo definitiones diversæ, et quælibet per se est adæquata definitio, et propriam animæ naturam declarat, licet neutra totam ejus rationem distincte et quasi comprehensive exprimat, cum neutra per se omnem innatam habitudinem animæ declare» (1).

Hinc prima definitio certe quidditativa est, ut communiter censetur. Nam fit per proprium genus proximum et ultimam differentiam (2); anima quippe continetur sub genere formæ substantialis, et in eo differt a reliquis omnibus, quod det talem actum peculiarem sustantialem corpori. Sic porro actuare corpus, idque tale, nimirum vivens, constituere, non est animæ accidentale, sed maxime essenziale (3). Circa alteram autem Angelicus (4), et Suarez (5), Rubius (6), Complutenses (7), alique apud eosdem, censent eam esse descriptivam, contrarium nonnullis aliis sententibus, in quorum numero referuntur Bañez et Cajetanus apud Joannem a S. Thoma (8), qui videtur his adhærere.

(1) Suar., lib. 1, cap. 3, num. 7.

(2) Intellige genus et differentiam improprie sumpta; nam formæ informantes et generatim entia incompleta non ponuntur directe in prædicamento.

(3) Vide Suarez, ib. num. 16 et 17.

(4) Lib. 2.<sup>o</sup> de Anima, lect. 3.

(5) Ib. num. 18.

(6) De Anim., tract. de substant. animæ, quæst. 9.

(7) Disp. 3, quæst. 2.

(8) De Anima, quæst. 1, art. 2.

Prima definitio animæ naturam declarat per habitudinem causæ formalis:

altera per habitudinem causæ efficientis:

prima est quidditativa,

altera non sit quidditativa, disputatur,

Facile tamen, crederim, omnes in eo convenient, quod definitio hæc secunda substantiam seu essentiam animæ declaret quodammodo a posteriori, saltem secundum nostrum concipiendi modum. Id quod perspicue probatur ab Eximio: «Nam anima duas habet habitudines: una est formæ, dantis esse substantiale composito, alia est principii effectivi operationum, quæ licet *immediate convenient animæ per seipsam*, nihilominus inter se comparatæ, prior est ratio formæ et habitudo ad informandum, quam habitudo principii ad efficiendas operationes. Ergo prior est *essentialis*, ac per se *primo conveniens animæ*; posterior vero est *quasi proprietas per se secundo illi conveniens*. Antecedens probatur primo, quia *anima non ideo est anima, quia est principium operandi, sed potius quia est anima est principium operandi*. Nam sicut res non ideo est, quia operatur, nec quia est potens ad operandum, sed quia est talis tantæque perfectionis, ideo operatur, vel potens est ad operandum; ita similiter anima non dat esse, quia dat operari, sed potius e converso, dat posse operari, quia dat esse (1). Ergo secundum naturam prior est in anima ratio formæ informantis, quam principii operantis: ergo prior est ratio essentialis, secunda *tamquam concomitans* essentialem, quia in unaquaque re essentialis ratio est prima omnium, et quasi radix cæterarum. Ergo...» Deinde «*declaratur hoc ex diverso modo, quo anima formaliter dat esse, et quo efficienter operatur, ut quo. Nam dat esse per seipsam et immediate et substantiali modo sine interventu accidentis: est principium operandi non immediate per seipsam solam, sed mediante facultate accidentali (ut mox probabitur). Unde vel non influit immediate per seipsam in opus, ut multi volunt; vel si influit, non id facit sine concursu proximo potentiæ, nec sine actione accidentali. Ergo signum est hanc rationem causandi vel aptitudinem ad illam non ita esse essentialem animæ, sicut est prior (2)».*

Definitio ergo hæc secunda licet animam, prout *natura* est, essentialiter et a priori declaret, rationem vero *substantiæ* seu essentiæ non explicat a priori sed a posteriori.

(1) Cfr. S. Thom., de Anima, lib. 2, lect. 3, paragr. c.

(2) Suar., loc. cit. n. 18, 19. Cfr. Conimbrici, lib. 2, cap. 2, quæst. unic., art. 2, concl. 1.<sup>a</sup>

quævis forte facile in eo convenient auctores, quod substantiam animæ declaret quodammodo a posteriori: